

Romae, d. Novembris 1963.

Beatissime Pater,

Infrascripti Patres Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II, occasione argumenti de Curia Romana reformanda, Sanctitati Vestrae, qua par est humilitate ac reverentia, sequens votum proponunt.

Inter ea quae reformanda sunt singularem locum obtinet Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii. Fatemur non esse nostrum reformationem ad effectum deducere; attamen filiali fiducia quaedam insinuare audemus, quae in ipsa reformatione opportuna, immo necessaria videntur.

- 1) Mutato nomine, ita ut deinceps "Sacra Congregatio de doctrina fidei et morum" vel aliquid simile nuncupetur, proponitur ut eius competentia modo magis formali determinetur, ne ratione fidei omnia fere ecclesiastica negotia eius potestas pervadat.
- 2) Ad agendi modum quod attinet, optatur ut plerumque suam potestatem exercent modo iudiciali seu contentioso, quamvis, urgente necessitate, praeiudicialibus provisoriiis decretis rem componere possit, quin, ex alia parte, his decretis instantiae prosecutio impediatur vel de merito causae praeiudicetur.
- 3) Quovis sensu Suprema Sacra Congregatio S. Officii reformetur, optatur ut eius leges processuales vel procedendi normae publici iuris fiant.
- 4) Accusatus semper audiatur, eique capitula omnia accusationis communicentur, concessa eidem facultate advocatus nominandi. Si causa instauretur post mortem auctoris, sit Episcopi vel religiosae familiae advocatus proponere.
- 5) In sententia damnatoria alicuius libri vel doctrinae enuntientur rationes ob quas ut contrarii catholicae doctrinae habentur.
- 6) Pronuntiata sententia condemnationis alicuius libri vel doctrinae non ante publicetur quam Episcopus et etiam, si casus ferat, Superior maior religiosus, de ea certiores reddantur. Ante publicationem sententiae reus quoque de ea certior fiat. Si reus se submittat opportunam retractationem et reparationem damni polliciendo, sententia regulariter non publicetur, nisi, ex non adimplitione promissarum vel ex recidivitate aliud pro bono communi cavendum sit.
- 7) Quoad "secretum Sancti Officii", optatur ut eius usus accuratius definiatur ac circumscribatur, ne innecessario timores iniciantur.
- 8) Denique, quin praestantissimum momentum huius Dicasterii denegetur, omnino subsit Consilio vel Commissioni Apostolicae de qua Sanctitas Vestra nuperrime locutus est.

Quod si haec vota nostra, Sanctitati Vestrae humiliter porrecta, in praxim deducantur, putamus exinde non parvi pretii emolumenta et pro Ecclesiae bono et pro supralaudati Dicasterii prestigio et pro ecclesiastica iustitia oritura fore.-

Et Deus. ....